

etur, ut sapiat? Et quo pacto eam Deus fingat in homine; etiam si anima seminaliter trahatur ex anima; sicut fingit in homine corporis membra; quamvis corpus seminaliter trahatur ex corpore? Si enim non spiritalis creatura fingeretur à Deo, non scriptum esset: *Qui fingit spiritum hominis in ipso.* Et in eo, quod legitur: *Qui finxit singulatim corda hominum:* si per corda significatae sunt animae, fingi eas posse, quis dubitet? Sed quaeritur, utrum ex una anima hominis primi; sicut fingit singulatim facies hominum; ex uno tamen corpore hominis primi. Cum hæc atque hujusmodi de hære multa quaerantur, quæ nullo sensu carnis explorari possunt, & à nostra experientia longè remota sunt, atque in abditissimis naturæ sinibus latent; non erubescendum est homini, confiteri, se nescire, quod nescit, ne, dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur. Quis autem negat, non unius tantum, sed omnis animæ creatorem Deum atque factorem; nisi qui ejus eloquiis apertissimè refragatur? Sine ulla quippe ambiguitate per Prophetam dicit: *Omne flatum ego feci:* animas videlicet intelligi volens; quod verba subsequenter manifestant. Non itaque unum, quem factum ex terra homini primo inspiravit; sed omnem flatum ipse fecit, ipse adhuc facit. Quaeritur tamen, utrum omnem flatum ex illo uno flatu; sicut omne corpus homini, ex uno illo corpore, faciat; an verò nova quidem corpora faciat ex uno; animas autem novas ex nihilo. Quis enim congrua suis originibus genera rerum etiam de seminibus facit; nisi qui ipsa semina sine seminibus fecit? Sed ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & apertè divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura præsumit. Secundum vitas autem, quas proprias habere incipiunt, *novos* homines dicimus nasci, sive animâ, sive corpore. At verò secundum originale peccatum veteres nascuntur; ideo baptisate renovantur. Aliquid ergo certum de animæ origine nondum in Scripturis canonicis comperi.

Zach. 12. 1.  
Ps. 32. (33.)  
15.

Esa. 57. 17.

714.

Nam ii, qui novas sine propagine asserunt animas fieri, inter testimonia, quibus id nitantur ostendere, ponunt etiam illa duo, quæ paulo antè commemoravi: *Qui fingit spiritum hominis in ipso, & Qui finxit singulatim corda hominum:* de quibus vides, quemadmodum possit à resistens responderi. Utrum enim, cum fingit, ex alio fingat, an ex nihilo, incertum est. Illud tamen inter cætera testimonium mihi videtur esse præ ipuum, quod in libro Salomonis Ecclesiaste legitur: *Et revertetur pulvis in terram, sicut erat, & spiritus revertetur ad Deum, qui dedit eum.* Sed facillimè responderetur, Corpus in terram, de qua factum est primum hominis corpus, & spiritus ad Deum, à quo facta est prima hominis anima. Sicut enim nostrum corpus, inquiunt, quamvis ex

Zach. 12. 1.  
Ec. 32. (33.)  
15.

Ecc. 12. 7.

Bbbbb 2

Pri-